



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Benedictio thalami.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

Benedictio Thalami.

47.

mo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam benedicere † & sanctificare, † ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore Coeli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere † & sanctificare † digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob: & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Deinde aspergitur aqua benedicta.

Benedictio Thalami.

†. Adjutorium &c. *R.* Qui fecit coelum & terram.
†. Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna Coelorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Aspergatur Thalamus aqua benedicta.

Benedictio Communis super fruges.

Adjutorium &c. Domine exaudi orationem meam &c.
Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oramus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluviae temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbri perfundas, & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut à sterilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

Benedictio agni Paschalis.

†. Adjutorium &c. Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosq; postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi præcepisti: tu benedicere † & sanctificare † digneris, hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio Ovorum.

†. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit coelum &c.

†. DO-